

non quòd opera nostra egeat, sed vt operationem ipsius admirabilem & stupendam re ipsa experiamur, & in fide ipsius exerceamur & crescimus. Et vt certò cognoscamus, nihil esse plantantem, nihil rigantem, nihil operantem hominem: sic operationem suam dispensat, vt aliquando nihil efficiat qui operatur, sed omnem operam ludat: deinde sæpenumerò ipse solus sine nostra opera, res grandes efficit, & plerunq; operantes nos ita instituit, vt ratio humana sperare effectum nequeat: id quod eò tendit, vt caueatur, ne gloria accedat carni. Sic solet per paucos, infirmos, & contemptos magna quædam & stupenda perficere. Hæc obseruatio ad id spectat, vt in omnibus diuinam prouidentiam cuncta disponentem agnoscamus & suspiciamus.

OBSER.  
Vers. vi.

*Dominus seruabit regem.* ] Obseruandum est hoc versu, quòd dicunt: *Et respondet nobis quo die inuocauerimus eum:* vbi videmus, qua fiducia opem Dei sui implorent pij. Inuocant Deum sine vili hæsitatione, secundum dictum Iacobi.

Deinde & illud notandum est, quòd cùm suprà versu 6. dixerint: *Respondet illi de cælo sancto suo:* iam, *Respondet nobis,* iniquiunt. Significatur, respondere Deum populo suo, quando regi responderi: sicut & salus regis, populi salus est. Etenim populum verius quàm regem ipsum concernunt, quæ rex pius à Deo petit, & accipit.

## PSALMVS XXI.

AD PRÆCINENDVM PSALMVS DAVIDIS.

ARGVMENTVM PSALMI.

**H**aud obscurum est, de eadem victoria & hunc Psalmum canere, quam præcedenti populus Dei & petijt à Deo, & futuram sperauit: vt videatur esse inuictor: hoc est, carmen triumphale & gratulatorium, quo non more mundano prædicantur & celebrantur vires humanae sed diuinae: non quaeritur gloria carnis, sed Dei, cuius solius est victoria. Sunt autem duæ Psalmi huius partes. Vna, qua septem prioribus versibus ea prædicantur, quæ Dauidi contulit Deus: altera, qua potentia Dei, impios disperdens & consumens, sex reliquis posterioribus celebratur & extollitur.

PRIMA PARS PSALMI.

VERS. I.



**D**OMINE, in virtute tua letatur Rex: & in salute tua quàm exultat vehementer.

2. Desiderium cordis eius tribuisti ei: & petitione labiorum eius non fraudasti eum. Selah.

3. Quoniam præuenisti eum benedictionibus optimis: posuisti in capite eius coronam de auro puro.

4. Vitam petijt abs te, tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, & in sempiternum.

5. Magna est gloria eius in salute tua: gloriam splendorem posuisti super eum.

6. Quoniam posuisti eum benedictiones perpetuas: letificasti eum gaudio cum vultu tuo.

7. Quoniam rex sperat in Domino: & beneuolentiam altissimi non mouetur.

LECTIO.

Vers. 3.

Benedictionibus optimis. ] Ebr. ברבות טוב. Græcus: ἐν ἀνοχίας χρηστότης. Vulg. Latina: In benedictionibus dulcedinis. Chald. ברכין טובין id est, Benedictionibus bonis. Hieron. Iustin. & Felix: Benedictionibus bonitatis. Pagn. Benedictionibus boni. Campensis: Muneribus optimis. Felinus: Omnifarijs beneficijs. Tigurina: Benedictionibus optimis.

De auro puro. ] Ebr. כסף. Græc. ἐν λίθῳ τιμίῳ. Vulg. Lat. De lapide precioso. Chald. De auro optimo. Hieron. De obrizo. Pagn. Coronam auream, Campensis: Ex auro purissimo. Felix: Coronam obrizi. Felinus: Coronam gemmeam.

Vers. 4.

In seculum, & in sempiternum. ] Ebr. עלם ועד. Græc. ἐς αἰῶνα αἰῶν. Vulg. Lat. In seculum seculi. Chald. In secula seculorum. Hieron. In seculum, & in æternum. Pagn. In seculum & seculum. Tigurina: In seculum & ultra. Felinus: Et quidem maximè longæuam.

Vers. 5.

Et splendorem. ] Ebr. הדר. Græc. μεγαλοπρεπεια. Vulg. Lat. Hieron. Pagn. Iustin. & Felix: Decorem. Tigurina: Splendorem.

EXPLA-

NATIO.

Vers. 1.

*Domine, in virtute tua letatur rex.* ] Primo hoc versu pij consideratione beneficiorum Dei, quibus Dauidem cumulatissimè affecit, in admirationem rapti, regem suum beatum ac felicem prædicant, dum eum summo & indicibili gaudio propter diuinam virtutem & salutem lætari & exultare dicunt, ad hunc modum ordientes: *Domine quam vehementer letatur rex in virtute tua:* id est, propter virtutem tuam, qua ipsi succurristi: *quàm vehementer exultat in salute tua:* id est, propterea quòd ipsum è periculis & ingenti discrimine liberaisti & seruasti. Ad eum modum solent ordiri illi, qui propter excellentiam alicuius rei stupefacti, in commendationem ac deprædicationem illius prorumpunt. quale est & octauo Psalmi exordium, vbi Propheta obstupefactus dicit: *Domine quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra:* Hæc autem admiratio ac deprædicatione magis concernit diuinæ virtutis & opis Dauidi præstitæ laudem, quàm Dauidis exultationem. Significant enim, tam potenter ac tam luculenter à Domino adiutum esse dauidem, vt nisi plane stupidissimus sit, prorsus in indicibili gaudio gestire eum & exultare oporteat.

Desiderio